Caesar, Gaius Iulius; Glareanus, Henricus Loriti [Oth.]: C. Ivlii Caesaris Commentarii

Friburgi Brisgoiae, 1546 Seite 518



pede ſubditum, deinde genu innixus, pondere ſuo, proboſcide erecta, uibrãtiq; ſtridore maximo premeret atq; enecaret, miles hic non potuit pati, quin ſe armatum beſtiæ offerret, quem poſtquam elephantus ad ſe telô infeſtô uenire animaduertit, relictô cadauere, militẽ proboſcide circundat, atq; in ſublime extollit armatum, qui in ejuſmodi periculô cum conſtanter agendum ſibi uideret, gladiô proboſcidem, quo erat circundãtus, cædere quantum uiribus poterat, non deſtitit, quo dolore adductus elephantus, milite abjecto, maximô cum ſtridore, curſuq; conuerſus, ad reliquas beſtias ſe recepit. Interim Thapſo qui erant præſidio, ex oppido eruptionem portâ maritimâ faciunt, & ſiue ut ſuis ſubſidio occurrerent, ſiue, ut oppidô desertô, fuga ſalutem ſibi pararent, egrediuntur, atq; ita per mare umbilici fine ingreſſi, terram petebant. Qui à ſeruitijs, puerisq;, qui in caſtris erant, lapidibus, pilisq; prohibiti terram attingere, rurſus ſe in oppidum receperunt. Interim Scipionis copijs proſtratis, paßimq; totô campô fugientibus, confeſtim Cæſaris legiones conſequi, ſpatiumq; ſe non dare colligendi. Qui poſtquam ad ea caſtra, quæ petebant, perfugerunt, ut refectis caſtris rurſus ſeſe defenderent, ducem aliquem requirunt, quẽ reſpicerent, cujus authoritate, imperioq; rem gererent: qui poſtquam aduerterunt, neminem ibi eſſe præſidio, protinus armis abjectis, in regia caſtra fugere contendunt. Quò poſtquàm peruenerunt, ea quoq; ab Julianis teneri uident. Deſperatâ ſalute in quodam colle conſiſtunt, atq; armis dimißis ſalutationem more

militari